Flectere non poterat potuisset omnia mentem.
Forsitan et missi sit quedam culpa ministri.
Non adiit apte. non legit idonea credo
Tempora. nec petiit horamque animumque vagantem.
Hec nocuere michi. neque enim est de tygride natus.
Nec rigidas silices solidumque in pectore ferrum
Aut adamanta gerit. nec lac bibit ille leene.
Vincetur. repetendus erit. nec tedia cepti
Ulla mei capiam dum spiritus iste manebit.
Nam primum si facta michi revocare liceret
Non cepisse fuit. cepta expugnare secundum est.
Quippe nec ille potest ut iam mea vota relinquam.
Non tamen ausorum semper memor esse meorum.
Et si desierim leviter voluisse videbor
Aut etiam temptasse illum insidiisque petisse.
Vel certe non hoc qui plurimus urit et ussit al' urget
Pectora nostra deo sed victa libidine credar.
Denique iam nequeo nil conmisisse nefandum.
Et scripsi et petii. temerata est nostra voluptas
Ut nichil adiciam. non possum innoxia dici.
Quod superest multum est in vota. in crimina parvum.
Dixit. et incerte tanta est discordia mentis
Cum pigeat temptasse libet temptare. modumque
Exit. et infelix committit sepe repelli.
Mox ubi finis abest patriam fugit ille nefasque.
Inque peregrina ponit nova menia terra.
Tum vero mestam tota Miletida mente
Defecisse ferunt. tum vero a pectore vestem
Diripuit. planxitque suos furibunda lacertos.
Iamque palam est demens. inconcessamque fatetur
Spem veneris sine qua patriam invisosque penates
Deserit. et profugi sequitur vestigia fratris.
Utque tuo mote proles Semeleia tirso
Ismenie celebrant repetita triennia bacche
Biblida non aliter latos ululasse per agros

Bubasides.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1670/0204
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG